



1. abschriftigung der Branteboutsing,
ob ein am Gryffen bij den
vrouwen bischam = teßtijf in
zijn den verleibt sijc. 1690.
2. Christo = gennetie untersching
ob ein verdijc die nuwaff.
Raest minn Amtel c. bij
der absolution moglyker
kunne. 1733.
3. van Bashuysen s. Henr. Jac.
diff. de Theologie naturalis
protestantia, Servestde 1726

20

DISSE²¹RAT²²TIO THEOLOGICA
DE
DIVINITATE SACR²³ SCRIPTVRÆ,

CVIVS ARGVMENTVM PETITVR
AB INGENVITATE HAGIOGRAPHORVM,
IN CONSIGNANDIS VEL SVIS, VEL ALIORVM VITIIS
ET NAEVIS;

QVAM
DEO CLEMENTER ADSPIRANTE !
P R A E S I D E

IOH. HVLDRICO HEYDENO

S. S. THEOLOG. DOCT. PROF. PVBL. ORD.
GYMNASII ILLVSTRIS REGII EPHORO,
REGI BORVSSIAE POTENTISSIMO A CONCION.
AVLIC. ET CONSILIIS S. IN DVCATV
MAGDEBURGICO;

VT ET
SOCIETAT. MAGN. BRITANN. DE PROPAG.
FIDE MEMBRO,
PRÆCEPTORE OMNI PIETATIS CVLTU DEVENERANDO,
PVBLICE D. 20 JVN. M DCC XX,
DEFENDET RESPONSVRS AVCTOR,

C. G. NVSSLERVS, Cotheniens. Anhalt.

HALÆ - MAGDEBURGICÆ,

TYPIS IOANNIS MONTAGII, ACAD. TYPOGR.



VIRIS
MAGNIFICIS, GENEROSISSIMIS, NOBILIS-
SIMIS, MAXIME REVERENDIS, CON-
SVLTISSIMIS AC DOCTISSIMIS

ESTAMENTORVM, QVAE ANTIQVA ET AETERNUM DE-
PRAEDICANDA PIETAS AD PROMOVENDA LIBERALIA STUDIA IN PA-
TRIA ANHALTINA CONDIDIT, CONSTITVTIS EXECVTO-
RIBVS AEQUISSIMIS,


MAGNIS SVIS MAECENATIBVS AC PATRONIS
SVBMISSE VENERANDIS

Has studiorum suorum Theologicorum
primitias

in sui commendationem humil-
limam

Dicat ac consecrat

AVCTOR ET RESPONDENS.



QVOD DEVS BENE VERTAT.

PRÆFAMEN.



Ti Verbum DEI aeternum,^{Heb. VII. 26.}
Salvator noster sanctissi-
mus, sacerdos impollutus,
malignorum hominum
spiculis varie expositus
fuit, & in signum contradic-^{Luc. II. 34.}

tionis positus; Ita & verbum Dei προφητὸν
(quod vel ipsius Spiritus Prophetis & Apo-
stolis dictavit, vel Ipse Ministrum circumci-
sionis agens, e sinu Patris allatum prædica-
vit;) in hunc usque diem, a divinæ lucis &
veritatis osoribus (quorum Deus venter est,^{Philip. III. 18.}
hostes crucis Christi, die es oft muthwillig

A 2 nicht

31000

nicht wissen wollen) audaci ausu temereque
 λανθάνειν
 γράπτειν
 τάπτοθέλον
 ταξ. 2. Pet.
 III, 5.

læditur, ut non adeo Controversiis illis,
 quæ nobis, cum extraneis fidei Christianæ
 hostibus, intercedunt, operam locare habe-
 ant veræ & pacificæ Theologiæ strenui asser-
 tatores, quam quæ ab internis θεουδησίοις mo-
 ventur. Divinitatem, & ex ea exsurgentem
 Authoritatem Scripturæ, omni exceptione
 majorem, vindicarunt & vindicant etiam-
 num, pro mensura gratiæ sibi datæ, pie Eru-
 dii, & quidem variis argumentis, quorum
 Tractatus hic recensere supervacaneum est,
 Destinatum quoque mihi est, qui ad altio-
 ra, Deo Duce, comite veritate, annitor, hac
 Dissertatiuncula, ad periclitandas quales-
 cunque ingenii vires, curatius aliquantu-
 lum illud solum argumentum Divinitatis
 Scripturæ expendere, quod ab ingenuitate
 Hagiographorum, in consignandis, & per-
 enni posteriorum memoriae tradendis vel
 suis, vel aliorum nævis & vitiis, petitum,
 præsertim cum id in locis, uti vocantur,
 Communibus Theolog. sæpe quidem, sed
 cursim saltem & superficiarie, videoas & ad-
 vertas. Hoc autem velim succurrat me-
 moriæ



moriæ Benevoli Lectoris, quod, licet seorsim hoc divinitatis argumentum nunc tractandum suscipiam, minime tamen segregandum putem, a cæteris urgentibus & convincentibus Sacri Codicis criteriis ; Conjunctionem quippe, & in fascem unum collecta robur suum exerunt fortius, & Lector salutis suæ cupidus, & insanientis Sapientiæ pertæsus, omnes Divinitatis notas simul ob oculos ponens, assequetur, ut , quæ singulæ sufficere non videntur, universæ majus idque sufficiens afferant momentum ; Quod monitum si insuper habeat, & singularem aliquam notam, ex qua totam rem æstimet, sibi exhiberi flagitet, & que inepit facit, ac si pulchritudinem , quæ ex toto vultus filo & colore vivido enitescit, ex uno aliquo lineamento censemret. Hæc præfatus, DEO adspirante conatibus ! rem ipsam aggredior.

QVi jura & mores hominum exteriores
suosque proprios scrutantur, commu-
niter hoc dictum in ore & usu habent:

Nemo tenetur allegare propriam turpitudinem;

In foro Soli & hominum, quatenus hoc valeat,
inquirere nunc meum non est; Ast in foro Poli
& Conscientiae omnes tenemur sine fuko, remotis,
ut ajunt Theologi, foliis ficus Adamicis, vitia & in-
firmitates eheu! nunc nativas, cum Davide fate-
ri & edifferere. Absit profanorum & pervica-
cium hominum frons meretricia, & gloriatio in
sceleribus Sodomiticiis; Quam studiole autem ex
innata φιλαγγία, accedente φιλαγγυρίᾳ, aliquis pra-
vis affectibus, & ratiociniorum mundanorum le-
nociniis, Scriptores Historiarum, Biographi, o-
mnis memoriae, vitia propria vel aliena, excusa-
re, palliare, & subticere fategerint, & adhuc fata-
gant, pulchre, scilicet! memores allegati ICto-
rum moniti, neminem fugit, & exstant de calamo
Historicorum & scriptorum venali, de studio par-
tium, Veterum & recentium cordatorum homi-
num consignatisimæ querelæ, hic non allegandæ.
Xenophontis Cyropædia in proverbium, apud E-
ruditos, abiit, quod indigitat, scripsisse Virum de
Cyro, non qualis fuerit, sed qualis esse debuerit.

Pf. LI, 5. 7.

Jerem. III, 3.
Ela, III, 9.

II.

Quid vero Scriptores Sacri? Hic sane & horum intuitu *contraria juxta se posita magis elucent.*
 Homines fuerunt nobis similes, sed organa Dei peculiaria, acti Spiritu Sancto; Hinc inter cæteras virtutes, Scriptorum bona & intemerata fidei, addo etiam vita, decenter (quas scriptis tradiderunt Autores Exotici, ut Lucianus in libello de conscribenda Historia, alioq; qui de methodo historiarum egerunt, & qui etiam Scriptores Sacros ~~ad ipsos~~ quam quorum copiam videre licet in Huetii Demonstratio, ang. maxime faciunt, quibus autem enarrandis limites mihi praefixi non sufficiunt) in clara luce ponitur ipsorum ingenuitas, dum nec suos, nec suorum lapsus, si qui acciderint, dissimularunt, ut inde mundanas opes, aut gloriam, aut favorem adipiscerentur. Quod, in rem præsentem eundo, exemplis extantioribus in Vet. & Noy. Test. nunc declarandum est. Non quidem ut, cum Chamo, verenda Patrum proterve detegamus, & lapsus eorum, obtentui vitiis, quod solenne est contemtoribus Scripturæ Sacræ, sumamus, sed ut patescat, ipsos non fuisse ex se perfectos, sed ex Petri conversi confessione *salvatos esse, gratia quidam Jesu Christi*, ut Act. XV, 11. veritas Historiæ sacræ, ejusque autoritas vel hinc in aprico ponatur.

III.

Juvat autem hic annotare prius Judæorum malesanos conatus, qui in scriptis suis Talmudicis

dicis & Expositionibus Targumicis, nævos Patriarcharum, & lapsus a Mose notatos, omni studio & figuratis, huic nationi nunc quasi ingenitis, exculpare nituntur, atque suo sorices se indicio produnt, & testantur, non eo se sinceritatis Spiritu duci, in traditionibus suis, quo Moses & Prophetæ in omnem veritatem ducti sunt; Ac proinde voluminosum istud Traditionum suarum opus non pari pietatis affectu, (quod vellent, & vult cum Judæis Concilium Tridentinum Session. IV. in suis Traditionibus, populo Christiano qua vi, qua do-lo obtrudendis,) quo verbum in sanctis DEI Viris scriptum, ab æquis rerum æstimatoribus acceptandum esse, qui suo interim constare pretio Judæorum scripta facile patiuntur, verum non tam enormi & grandi, quale complures iis ponunt. Nam ventosam hanc nationem in *reprobum sensum*, justo DEI judicio, datam, incredibili studio & audacia teneri, in fabulis quibusvis, quibus Patres suos extollant, aut ab omni lapsu & errato immunes & indemnes reddant, pro animi libidine confingendis, id testatissimum est; Posuitque Clarissimus HEINIVS, fidus studiorum meorum formator, inter alios laudabilem operam in *Observat.* suarum, heic loci editarum, *Lib. I. cap. VI. Lib. II. cap. III.* de Judæorum erroribus exasciandis; utque fausto pede pergit, orandus est.

IV.

Ut fidem dictis præcedent: §. adstruam, quædam

dam interpretamenta Judæorum, lapsibus Patrum
excusandis inventa, proferre liceat. Quam tenui-
ter de lapsu Protoplastorum sentiant, quam ma-
ligne virus serpentis infernal is, quod omnes Adæ
posteros invasit, quasi edulcare nitantur, de pro-
tevangelio parum aut nihil credentes, omnibus,
cum indignatione & dolore, innotuit Christianis.
Noæ ebrietatem illi ipsi, & cum his alii, quæsitis
hinc inde coloribus obtegere annituntur. Abra-
hami cultum idololatricum, quo se ex indicio Mosis
& Iosuæ, ante vocationem polluerat, omni nisu
negant, ut superbe in Abrahamo Patre glorientur,
& in hunc usque diem, per totum terrarum or-
bem dispersi, nil nisi Patrum merita & obedien-
tiam, suaque merita ja cantes, gratiæ Evangelicæ,
à Mose, Patrum nævos adnotante, tot egregiis te-
stimonis consignatae obstrepant. Fabulam ergo
putidissimam, omnibus notam, de Ur Chaldæo
rum, ex qua Abrahamum vocasse Deum sacra pa-
gina testatur, commenti sunt, aut ut alii mollius scri-
bunt, Abrahamum per contemplationem syde-
rum ad veri DEI notitiam pervenisse, antequam
vocaretur. En! discors Spiritus Sancti, cuius du-
&tu Moses scripsit, & horum hominum proposi-
tum; Ille gratiam Dei vocantis Abrahamum de-
prædicat, hi hominum probitatem & integritatem.
Addere liceat, Spiritum S. per Ezechielem, per Jo-
suam Judæis inurere crimen adulterii spiritualis
in Ægypto patrati post exitum, idolatriam in vitu-
lo, ex mente Interpretum ad imitationem Apidis

Vid. Eissen-
menger Ent-
delfes Aus-
benth. Specia-
lum Tom. I.c. §

Jos. XXIV. 2.

Joh. VIII.

Fabula repe-
ritur in Be-
rechit Rab-
ba, Fol. 34.

Ezech. XX. 8.

XXXIII. 2. 2.

Jof. XXIV. 14.

B con-

confecto, ipsis per Mosen & Prophetas exprobrare. Quid vero Judæi regerunt? Crepat merita, quorum intuitu à servitute Ægyptiaca per Deum vindicati sint; Facinus in vitulo commissum fatentur quidem, sed culpam à se amoliri & Aarone co-nantur, (quam tamen Moses plane & sincere pro-palat) & ad Ægyptiorum colluviem, quæ cum po-pulo in desertum ascendit, transferunt: Magica quippe ipsorum arte, non Aaronis & populi Isra-elitici arte & studio, vitulum prodiisse; Ut & Fran-ciscus Moncæjus, Judæis conscientis, criminis o-mnis suspicionem ab Aarone propulsare allaborat, Libro cui nomen imposuit: Aaron purgatus, qui reperitur Tom. VII. Bibl. Criticor.

V.

Non exiguum etiam pondus argumentationi nostræ addet collatio Scriptorum Sac. Codicis cum Libris Apocryphis quos in Canonem re-cipere, anathematis metu jussit Concilium Tridentinum. Non ingrediar in campum hu-jus controversiae, saltem tria producam exem-pla, quæ docebunt, quantum distent, juxta vetus illud, æra lupinis. Sunt quam plurima penes scriptores Librorum Apocryphorum, dogmatis fi-dei & vitae in Authenticis Libris consignatis, con-formia, at & multa dissona & difformia, è quibus liquido cognoscas, quam facilis fit lapsus homi-num. Juditha sic satis compta, simulans, te morem gestu-

*) u (*

gesturam nefariæ temulenti Ducas libidini, in Oratione sua cap.IX. laudibus amplis evehit facinus à Simeone & Levi patratum, quod diserte damnatur à Spiritu S. In Oratione Manassis dicitur v.7. Deum Abrahamo, Isaaco & Jacobo justis, non dedisse resipiscientiam, quia nec in ipsum peccarant. Quod assertum, ex Judaico tumore & nimia fiducia in merita Patrum oriundum, omnis chorus Sacrorum Scriptorum refutat, & natura se peccatores esse ingenue fatentur. Pseudo-Esdras omnia magna crepat, ab humilitate genuini Esdræ multum abhorrentia ; Tradit quippe : Populum Judaicum in capitivitatem Babyloniam abductum pati, ignotum qua decausa , cap. IV. v. 12. Legem scriptam interiisse, post à se divina inspiratione in integrum restitutam, cum LXX. voluminibus, solorum Sapientum usui reservatis, cap. VI.19.VII.ii. Obesæ naris sit oportet, qui non affectus dominantes subolfaciat. In reliquis Apocryphis scriptoribus, eadem humana vestigia prementibus, paria advertere ex facili labor foret ; Sed hæc adnotasse sufficiat.

VI.

Nunc vero Mosen , Divinum Scriptorem, &, quod solide Viri Doctri evicere, consensu extraneorum, omnium vetustissimum, intueamur. Is procul omni fastu studio gloriae aut opum, Spartam sibi commissam ornat, minus bene gesta à se, & Aarone Fratre, & Maria sorore, sincere perscribit: In

B 2 cuius

Num. XII. &
XX,

cujus vita conscribenda Philo Judæus, Josephus, & Rabbini, ad fabulas usque complures ineptiunt. Frequens est oorum Scripturæ improprium, Mo-sen in gloriam gentis suæ multa confinxisse, eam-que in mendacia ejus consensisse. Cui retunden-do hic sufficiat regessisse: Cur ergo ex isto Codice non eraserunt ea, quibus suæ genti à Moſe, Duce suo, viderunt infamiae notas inuri? Exemp. gr. Ser-vitutem Jacobi, incestum Thamar, unde tota Tri-bus Judæ, incestum Ruben, conjurationem fra-trum adversus Josephum, (Cujus historia, fabulis licet interpolata, ap. Justinum Lib. XXXVI. ex-tat.) gravia populi illius in deserto peccata, quibus se, teste Historia, apud gentes partim ridiculos, partim infames fecerunt. Fueruntne ista & simi-lia, que passim occurrunt in Libris Mosis, omnibus Israelitis accepta, & memoratu honorifica? Nonne etiam Mosis facilissimum fuit, illa, quæ vel se specta-bant, vel populum, tenerime a ſe dilectum, & pro quo anathema subire non detrectabat, vel diffi-mulare penitus, vel alio quod Scriptores, prece, pretio, vel metu adacti, artifice penicillo, & cala-mo faciunt, detorquere? Quod itaque Judæi talia Mosis scripta summa animi demissione, & sine ex-ceptione receperunt, id cum Mosis perspecta probi-tas, & ingenuitas & in re nota veritas fecit. Ipſe vero vocationis suæ certus, tum magnitudinis suæ, a Deo sibi oblatæ, securus, proprios adeo n̄evos prægnan-tes ob causas in Sacro Codice exstantes, cum aliis Hagiographis Vet. Test. (quorum testimonia ad-ducere

ducere vetat pagellarum angustia) nullus dubita-
vit æternis mandare chartis ; ut acquiescere liceat
in elogio Mosico, quod Paulus habet: *Fidus fuit ser.* Ebr. III, 5.
rhus in tota domo Dei, nihil sibi arrogans, fidus & in-
culpatæ famæ, testis eorum, quæ posteris temporis
bus dicenda erant plenius & dilucidius in Nov. Test.
per testes a Jesu Christo adscitos, nimirum Aposto-
los & Scriptores Sacros, qui pari fide & ingenuita-
te, qua Moses, in Scriptis suis versati sunt; Ad quos
proinde nostra vergat in nostro themate medi-
ditatio.

VII.

Testes Dominus Jesus elegit Apostolos, able-
gandos in omnem terram, mittendos veluti oves
inter lupos; non autem possunt meliores ab accu-
ratis exoticis Scriptoribus bonorum & probatae fi-
dei testimoniis in medium produci notæ, quæ non o-
ptimo jure illis competant.

Aet. I, 8.
Matth. X.

1.) Accurata rerum, de quibus quis testaturus
est, scientia; vid. 1. Joh. I. *Quod vidiimus, quod audivi-
mus quod palpavimus, &c.*

2.) Omnis proprii commodi abnegatio; Innu-
mera Apostolorum dicta, vita ærumnosa, mors
pene omnium cruenta, notam hanc liquido asse-
runt.

3.) Probitas & fides; Fuerunt, ringente invi-
dia, inculpatæ famæ, integri vitæ, scelerisque puri,
veritatis studiosissimi, fastuosa mundi sapientia &
Eloquentia destituti. *Quod postremum licet ipsis*
Julianus & Celsus, aliisque Christianæ fidei hostes,

B 3 vjto

vitio verterint , illi tamen laudi sibi duxerunt , &
 triumpharunt in veritate munda , cœlesti , Evange-
 lica . Simplicitas quidem fraudi opportuna est ,
 ast ut ipsa fraudes artificiose nectat , quibus inmen-
 sa hominum , æternæ Salutis cupidorum , multitudo
 irretita teneatur , id insuetum est & inauditum ; Ac-
 cedente imprimistali , tam rara , in Scriptoribus pro-
 fanis vix obvia , & tot exemplis , quæ mox adduce-
 mus , comprobata Sinceritate & ingenuitate , ut vi-
 eturis chartis infirmitates , lapsus , nævos , & suos &
 fidei Consortium , consignarent . Ita neque confi-
 etis fabulis , neque fictis excusationibus , quibus ea
 quæ in opprobrium Evangelii à profanis rapi pot-
 tuerunt , & rapta sunt (ut lectio Autorum , qui Re-
 ligioni Christianæ se opposuerunt , probat) obve-
 lare poterant , indulserunt , sed acti à Spiritu Sancto
 scripsérunt .

VIII.

Vitam Christi Sanctissimum & ab omni pecca-
 to impollutam , ac affectibus pravis imperturbatam ,
 verissime nobis exhibent Hagiographi , non tamen
 dubitantes , talia & dicta & facta Salvatoris scripto
 enarrare , quæ primo aspectu tantæ Personæ in-
 congrua videntur ac indecora , quæve , Autore Sat-
 tana , calumniatores nefarii , hostes Christi , atra lo-
 ligine conspuere allaborant . Poterant ea reticere
 Apostoli , præpostero studio honori Christi ut con-
 sulerent ; Veteres quidem ex codicibus Sacris era-
 dere conati sunt Historiam adulteræ , à Christo non
 dam-

Joh. VIII.

damnatæ ; Historiam de Angelo , in subsidium & solatium Christo patienti misso ; Sunt & alia, quæ Eruditæ Theologi ex Historia Evangelica adferunt, quæ à male confultis in calumniæ ansam possent arripi. Ex. gr. Ejectio nummulariorum ex templo ; Severitas exercita in Gadarenorum porcos ; In fiducum ad viam plantatam ; Hæc loca multos exercuerunt, quasi hæc actiones levitatem aliquam, animi impotentiam, & speciem injustitiæ præse ferrent. Ait Amanuenses Spiritus Sancti & hæc non subtilitatem, sed bona fide edisserere voluerunt, probegnari, quam decora hæc Christi Sanctissimæ Personæ, & gravissimo, quod sustinuit, muneri mediatorio convenientia forent.

Luc. XXII.

Marc. III. 21.
Joh II.
Matth. XXI.
Marc. XI.

IX.

Probe ad hæc memoranda venit toties ab Apostolis deprædicata JESU, veri Messiae, humilitas, & paupertina ab incunabilis usque ad sepulchrum ejus vitæ conditio , quam & ipse Salvator fatetur. Matt. VIII. 19. At nil durius dura paupertas in se habet , quam quod ridiculos homines facit ; Et exposuit apud Gentiles obtrectatores Christum & Christianos sannis & ludibriis ; Apostoli vero & Viri Apostolici gloriantur in Christo paupere, prædicant Christum nudum , crucifixum , Judæis scandalum , Græcis stultitiam , ipsi nuspiam pudore suffusi . At pude-re dicuuntur Jesuitæ, affectu ducti perverso & amore erga χριστον, non Christum ; Christum gloriosum Regum Sinensibus & Japonis prædicantes ; Hoc enira

1. Cor. v.

enim & olim & nunc à Dominicanis & aliis sic di-
 etis Missionariis ipsis exprobratum esse novimus,
 an ex vero ? ipsi viderint. Sane sic se probarent
 socios & sequaces Johannis Papæ XXII. vel ut alii
 XXIII. qui adeo divitiarum fuit appetens, ut pau-
 pertatem, à Christo & ejus Apostolis collaudatam,
 palam irriserit, & Franciscanos, opinioni suæ adver-
 fantes, ceu Hæreticos excommunicarit, quin &
 quosdam combufferit. Gliscebatque vehementer
 de paupertate Christi contentio, Franciscanos in-
 ter & Dominicanos, Johannis asseclas, affirmanti-
 bus illis, Christum nudum in cruce pependisse, spi-
 vid. Heidegger- nea corona obseptum ; His vero pertendentibus,
 ri Hist. Papat, Period. V. §. Christum ornatum corona Regia, indutum toga
 129. purpurea pependisse, insuper & cinctum Zona au-
 rea, nummis referta ; Heu ! quo non mortalia pe-
 ctora cogit, Auri sacra famæ !

X.

Ephes. IV. 20.

Non ita didicere Christum Apostoli, non ita
 docuere apud Gentes ; Procul affectibus mundanis,
 seposito metu ex scando crucis capiendo, gloriam
 Iesu Christi vindicarunt, omnia ipsius merito & gra-
 tiæ tribuentes, sibi nihil nisi obsequii gloriam relin-
 quentes. Hinc legas & admireris eam, de qua hæc
 qualisunque nostra Dissertatio agit, in scribendo
 ingenuitatem. Nævos & peccata vel sua vel alio-
 rum non disimulant, vel silentii sapientia obvolvunt.
 Beatæ Virginis semper laudatae nævulos quosdam
 observant, quos Pontificii quæfisis hinc inde colo-
 ribus

ribus emendare conantur, ut immaculatam ipsius conceptionem, ipsa illibente & refragante, adstruant. Matthæus Publicanus fuit; verum ad amplectendum Evangelium à Judæis hoc vitæ genus pa-
rum fuit conducibile, ipse vero non veretur dice-
re; Paulus persecutor Christi, poterat non allega-
re propriam labem, at quam multis locis edisserit!
Lucas, fidus Achates Pauli, non silentio premit hu-
manæ infirmitatis indicium, scilicet illum παροξυσμόν in-
ter Paulum & Barnabam. Paulus recenset suam
cum Petro disceptationem Antiochia, quam veram
fuisse, non simulata, & ex compacto, uti Hierony-
mus in Commentar. Ep. ad Gal. asserere conatus
est, verba probe expensa evincunt. Malent etiam
Pontificii reprobationem Pauli æterno se-
pultam esse silentio, in gratiam infallibilitatis Papæ.
Idem ille Gentilium sincerus & aperti peccoris Ma-
gister, Paulus, virtus quædam enormia, quibus se alli-
garant Corinthii, publicat, & chartis pérennati-
bus mandat. Noverant pii Corinthii prægnates
causas, ob quas in memoriam ipsi revocaret fidus
Doctor res perperam gestas; At consultius aliis
φιλαύτοις videretur facturus esse, si talia supprime-
ret; Nam Gentes copiosam ex allegato Pauli dicto, alii.
que, calumniandi Christianismum, materiam depromse-
runt, quasi is latam omnibus flagitiis portam aperiret;
Ita omnes pene Sacri Scriptores eadem Sincerita-
te coeque fausto pede processere, quod promptum
esset demonstrare, quando id quidem necessitas
effla-

De Publicanis
vid. Pfeifferi
Antiquit. Ju-
daic.

A&.XV.

Gal. II, 11
XXXIX
DCC
XIX
100. 88
100. 88
100. 88
100. 88

Cor. VI.

efflagitaret. Animus alias sibi male conscient, vel levium errorum commemoratione conturbari solet, illi abnegatum & desertum à se Filium DEI, ingenue confitentur.

XI.

Emergenti ex dictis de sinceritate & ingenuitate Scriptorum Sacri Codicis argumento pro Divinitate S. Scripturæ obstrepunt maligni quidam Critici, & humanæ Sapientiæ consulti. Regerunt quippe, hanc Sinceritatis laudem multum deteri, Num. XII. 3. aut evilescere ex eo, quod Moses, David, Paulus, Deut. XXXIII. 1. Ps. CXIX. 99. 100. 2Cor. XI. (alias citare & alia loca supersedeo) Laudes suas & gregalium ebuccinare voluerint, atque sic affectibus indulserint. Possent ad hæc multa reponi; Nobis nunc veniat in mentem, testimonia commendatitia non tam Mosis, Davidis, Pauli, de se- ipsis, quam Spiritus Sancti de Organis hisce gratiæ divinæ, mediantibus ipsorum graphiis & manibus, fuisse. Dein, ipsi norunt opposentes & inepti Critici, non semper tædiosam & ridiculam olere vanitatem, propriarum virtutum qualemcunque mentionem facere, & existimationis suæ, ab aliis collutulatae (quod Viris Dei ab hostibus contigit) patrocinio defungi, atque pravam vitiorum imparitorum suspicionem a se emoliri. Neque vel Veteribus Scriptoribus, ex. gr. Marco Aurelio, Imperatori, qui eleganti Libro de rebus suis scripsit, vel Recentioribus, Thuano, Franc. Junio, Abrah. Sculteto, Heideggero, aliisve Heroibus, unquam vi- tio datum fuit, quod res præclare gestas, in earum me.

memoriam, ac bene vivendi & agendi exemplar,
ad posteritatem felici & utili opera, proprioque
stylo transmiserint; Semper autem memores il-
lius Paulini: SOLI DEO GLORIA!

XII.

Huc enim aurigatur in perpenfis Hagiogra-
phorum nævis omnis meditatio, ut Deo in soli-
dum adscribamus omnem virtutem, in verbo suo
coruscam, & enitentem in efficacia illuminante
& informante pias mentes, convincente ac per-
fudente, purgante ac transformante, consolante
ac contra omnes Satanæ, mundi & carnis insultus
ad finem usque conservante.

Hæ scilicet sacræ scripturæ dotes sunt, hunc
thesaurum in testaceis vasculis Sacri Scriptores ge-
starunt, quos indemnes & ab erroribus immunes,
in mysteriis ad salutem pertinentibus, scripto man-
datis Almus DEI Spiritus, verus & unicus Musage-
tes, præsttit. Adoremus ergo, ex scito & monito
Tertulliani, Scripturæ plenitudinem, nil morantes
fanniones exulcerati nostri Seculi, a quibus cave-
re nos jusxit S. Petrus. Fidem interemeratam Ser-
moni firmo Prophetico & Apostolico adhibeamus,
vestigia ipsorum, gressu licet impari, premamus,
φιλανθρωπία, carnalia præjudicia, fastus & jactantia, ut
exosa, absint; Sinceritati, in agnoscendis & confi-
tendis delictis, in vitæ Christianæ negotiis, ex præ-
scripto & exemplo Paulino cum Deo & die
gnaviter studeamus.

Epist. III, 16.

QYOD DEVS FAXIT!

adversitate ihrege se illuciv a sed etiam
in amissione deponit. Et quod si quis
in eis dicitur: SCIT PRO CHORI

XX.

-erit enim Huiusmodi. Quod si quis dicit
et id si occidit. Cunctum sicut etiam
dicit et rov. In instanti mortis agnoscitur ibi
conveniens. Quod si cunctum dicitur. Non
conveniens.

Et quod si quis dicitur: SCIT PRO CHORI
adversitate ihrege se illuciv a sed etiam
in amissione deponit. Et quod si quis
in eis dicitur: SCIT PRO CHORI

adversitate ihrege se illuciv a sed etiam
in amissione deponit.


ad 24


00 A 6402



5b.

VD 17





20

DISSE^TRAT^O THEOLOGICA
DE
DIVINITATE SACR^E SCRIPTVRÆ,
CVIVS ARGUMENTVM PETITVR
AB INGENVITATE HAGIOGRAPHORVM,
*IN CONSIGNANDIS VEL SVIS, VEL ALIORVM VITIIS
ET NAEVIS;*
QVAM
DEO CLEMENTER ADSPIRANTE !
P R A E S I D E
IOH. HVLDRICO HEYDENO
S. S. THEOLOG. DOCT. PROF. PVBL. ORD.
GYMNASI^I ILLVSTRIS REGII EPHORO,
REGI BORVSSIAE POTENTISSIMO A CONCION.
AVLIC. ET CONSILIIS. IN DVCATV
MAGDEBURGICO;
VT ET
SOCIETAT. MAGN. BRITANN. DE PROPAG.
FIDE MEMBRO,
PRÆCEPTORE OMNI PIETATIS CVLTU DEVENERANDO,
PVBLICE D. JVN. M DCC XX.
DEFENDET RESPONSVRVS AVCTOR,
C. G. NVSSLERVS, *Cotheniens. Anhalt.*

HALÆ - MAGDEBURGICÆ,

TYPIS IOANNIS MONTAGII, ACAD. TYPOGR.

